

recurrit, coram testamenti Arca Dominum consulit: exemplum proculdubio Rectoribus praebens, ut cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant: et velut coram testamenti Arca Dominum consulant, si de his in quibus dubitant, apud semetipsos intus sacri eloquii paginas requirant. Hinc ipsa Veritas per susceptionem nostrae humanitatis nobis ostensa, in monte orationi inhaeret, miracula in urbibus exercet: imitationis videlicet viam bonis Rectoribus sternens; ut etsi jam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur: quia tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit: et quo benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. Tales autem sese qui praesunt exhibeant, quibus subjecti occulta quoque sua prodere non erubescant: ut cum tentationem fluctus parvuli tolerant, ad Pastoris mentem quasi ad matris sinum recurrant: et hoc quod se inquinari pulsantis culpae sordibus praevident, exhortationis ejus solatio, ac lacrymis orationis lavent. Unde et ante fores templi ad abluendas ingredientium manus mare aeneum, id est luterem, duodecim boves portant: qui quidem facie exterius eminent, sed ex posterioribus latent. Quid namque duodecim bobus, nisi universus Pastorum ordo designatur? De quibus Paulo disserente lex dicit: non obturabis os bovi trituranti. Quorum quidem nos aperta opera cernimus, sed apud districtum judicem quae illos posterius maneant in occulta retributione nescimus. Qui tamen cum condescensionis suae patientiam diluendis proximorum confessionibus praeparant, velut ante fores templi luterem portant: ut quisquis intrare aeternitatis januam nititur, tentationes suas menti Pastoris indicet, et quasi in boum lutere cogitationis vel operis manus lavet. Et fit plerumque, ut dum Rectoris animus aliena tentamenta condescendendo cognoscit, auditis tentationibus etiam ipse pulsetur: quia et haec eadem per quam